

partis Parochianorum requiratur ad Dis-
membrationem Parochiæ, non conveniunt
Doctores; Affirmant Zypæus Consult. Can-
non. 1, n. 3, de Ædific. Eccles. Slevogtius
de divis. Ecclesiar. et Benefic. comment. 3,
§ 19. « Populo, ait, nullas in hoc negotio
partes, Barbos. etc. Castropalao etc. tri-
buendas contendunt, quod arbitrium omne
Episcopo a Synodo Tridentina deferatur.
At fatemur, Synodum nihil de Populo, seu
Paræcianis diserte ponere; solet tamen ve-

DISPENSATIO.

SUMMARIUM.

1. Dispensatio quid sit. — 2. Dispensatio potest
considerari sub variis modis. — 3. Primo, dispensa-
tio alia est debita, alia permissa, et alia prohibita,
et quæ sint. — 4. Secundo, dispensatio alia est legis,
alia hominis, et alia mixta, et quæ sint. — 5. Tertio,
dispensatio alia est justitiæ, alia gratiæ, et alia
mixta, et quæ sint. — 6. Quarto, dispensatio alia est
tacita, et alia expressa, et quæ dispensatio tacita. —
7. Hodie hujusmodi tacita Papæ dispensatio est mi-
nus frequens in usu. — 8. Dispensatio expressa quæ
sit. — 9. Quinto, dispensatio alia est excusabilis,
alia laudabilis, alia damnabilis. — 10. Dispensatio
sine justa causa non est dispensatio, sed dissipatio.
— 11. Dispensatio in lege Superioris sine justa causa
non solum est injusta, sed et invalida. — 12. Dispen-
sans in Lege Superioris sine justa causa mortaliter
peccat, nisi excuset levitas materiæ. — 13. Imo se-
cundum gravissimos Auctores in tali Lege sine justa
causa dispensans non est tutus in conscientia, sed
peccat. — 14. Idem dicendum est de petente sine
causa dispensationem, vel eam ultro oblatam ac-
ceptante. — 15. Dispensatio in Lege propria sine justa
causa est quidem injusta, sed tamen valida. — 16.
Dispensans in sua Lege sine justa causa probab.
peccat saltem venial.; sicuti petens, vel acceptans
ultro oblatam talem dispensat. sine causa. — 17.
Papa dispensans in propria Lege, et Jure positivo
sine causa, an peccet. *ad n. 18.* — 19. Papa proprie,
et rigorose loquendo non dispensat in Jure Divino.
— 20. Potest tamen Papa Jus Divinum interpretari,
et declarare, quod in aliquibus casibus propter ali-
quas circumstantias non obliget. — 21. Papa ex ra-
tionabili causa potest dispensare in omni Jure Eccle-
siastico. — 22. Etatis dispensatio pro consequendo
Beneficium Jurispatronatus familiaris non conceditur
a Papa in præjudicium remotioris vocati habentis
requisita. — 23. Episcopus, quoad Sacros Canones,
Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum
Generalium, nequit dispensare, nisi sint casus sibi a
Jure concessi. — 24. Dantur plures casus, in quibus
potest Episcopus dispensare quoad Sacros Canones,
Constitutiones Apostolicas, etc. — 25. Primus casus
est, quando in Jure expresse conceditur Episcopis
talis facultas dispensandi. — 26. Secundus est,
quando saltem tacite, seu virtualiter ex modo lo-
quendi Sacrorum Canonum, præsumitur rationabili-
ter ipsis concessa talis dispensandi facultas. — 27.

(1. Dispensatio est Juris communis relaxatio
facta cum causæ cognitione ab eo qui Jus
habet dispensandi. Est in re communis cum
Glossa in c. *Requiritis* 5. caus. 1. qu. 7.
verb. *Ut plerisque*; et in c. *Ut constitueretur*
5. dist. 50. verb. *Detrahentium*; Abbas in c.
Fraternitatis, de Schismat. Fagnan. in cap.
Nimis 18. de filiis Presbyterorum num. 4.
Angel. Tab. et Armill. verb. *Dispensatio*.
(2. Dispensatio sub variis modis potest con-
siderari. Primo, dispensatio alia est debita,
alia permissa, et alia prohibita. (3. Dispensa-

riori sententia horum etiam consensus, aut
majoris partis requiri in nova Ecclesia fun-
danda. Ergo in divisione justa non negli-
gendus erit. Unde si plures, et distincti cœ-
tus uni Rectori, aut Curato majoris Ec-
clesiæ subjecti fuerint, ex tribus duos mi-
nimum consentire oportet. Certum etenim
est, eorum causa suscipi ejusmodi negotium.
Eoque audiendi omnino; » Rota in recent.
dec. 223. n. 5, part. 6. At negativa opinio
magis recepta est.

Tertius est, quando adest magna necessitas, vel
evidens utilitas de novo emergens, estque periculum
in mora, nec facile recurri potest ad Summum Pon-
tificem. — 28. Quartus est, quando adest consuetudo
dispensandi legitime præscripta. — 29. Quintus est,
quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione.
— 30. Potestas dispensandi in supradictis, et aliis
consimilibus casibus competens Episcopis, competit
etiam Capitulo Sede vacante. — 31. Dispensatio
Matrimonii obtenta super impedimento consanguini-
tatis in forma pauperum, falso narrata paupertate,
est valida. — 32. Dispensatus ad Ordines super Irre-
gularitate, ex aliquo defectu corporis, non indiget
nova dispensatione ad Beneficia. — 33. Alia de dis-
pensationibus, *remissive*. — 34. Cæcus non obtinet
dispensationem neque ad primam Tonsuram, ad
obtinendum Beneficium: obtinet jam ordinatus Sacer-
dos, qui oculorum lumen amisit, non tamen ita ut
nihil videat. — 35, 36. Non frequenter nec sine justa
causa conceduntur Dispensationes. — 37, 38. Matrimo-
nial. Dispensationum causæ veraciter exponendæ
et verificandæ. — 39, 40. Quinam denegandæ. —
41, 42. Quænam Dispens. Matrimonial. concedi
possint a Pœnitentiaria Apost. — 43. Neophytis ad
Fidem conversis Venetiis conceditur arbitrio Nuntii
Apost. dispens. Matrimonium contrahendi cum Fi-
deli absque interpellatione Conjugis in infidelitate
relictæ. — 44, 54. De Dispensationibus super gradi-
bus prohibitis ad effectum contrahendi cum hæreti-
cis. — 55, 57. A quonam Dispensatio super ætate
ad contrahendum Matrim. concedi possit. — 58.
Pro Regularibus non conceduntur nisi Superio-
rum Regul. consensu. — 59, 66. De Dispensationi-
bus ab observantia Quadragesimæ. — 67, 68. De
Dispensat. super Ritibus. — 69, 81. De Dispensatio-
nibus S. Pœnitentiariæ quæ diriguntur Confessariis.
— 82. Alia ad rem. *Remissive*. — 83, 84. Ad defini-
tionem Dispensationis nota. — 85, 87. Explanatur
Auct. sententia. — 88. Quando tacita Dispensatio
locum habeat. — 89. Plena potestas dispensandi
super legibus positivis Pontifici tribuitur. — 90,
100. De potestate Episcoporum dispensandi. — 101,
102. An cesset Dispensatio, si causa, ob quam fuit
concessa, cesset ante executionem illius. — 103. An
et quando potius datum mandatum de dispensando
quam gratia dispensationis concessa a Papa sit, et
quinam effectus. — 104, 108. Dispensatio est stricti
juris, nec patitur extensionem.

tio debita est, ubi vel utilitas, vel necessitas
Ecclesiæ, vel meritorum prærogativa verti-
tur, ut colligitur ex cit. cap. *Ut constitueretur*
23, dist. 50, et c. *Exposuisti* 23, de Præ-
bend. Dispensatio permissa, quæ etiam
arbitraria appellatur, est, ubi in Jure sit pro-
hibitio, cujus moderatio relinquatur arbitrio
Superioris, ut habetur in c. *Si quis presbyter*
dist. 50, vel etiam, quando aliqui permitti-
tur, ut pejus evitetur; c. 2. de spons. Dis-
pensatio prohibita est ubi minime fieri
potest absque manifesta Juris dissipatione,

vel quando justa causa dispensandi non
adest, text. in c. *Fali*; et cap. *Si illa* caus.
qu. 7. cap. *Innotuit*. § *Multa*, de Elect. (4.
Dispensatio etiam triplex dicitur; Alia legis,
ut in cap. *Literas* 14. de filiis Presbytero-
rum, ibi: « Permittimus ipsum ordinari in
Clericum. » Alia hominis, ut illa, quæ a Su-
perioribus solet concedi; mixta, quando
scilicet lex concedit, ut homo dispenset, ad
text. in cap. *De multa*. 28. de Præbend. (5.
Tertio, dispensatio adhuc est triplex: Alia
justitiæ, alia gratiæ, alia mixta. Dispensatio
justitiæ est illa, quæ dicitur debita ut sub
num. 3. Dispensatio gratiæ est illa, quæ con-
tinet merum privilegium, meramque Prin-
cipis liberalitatem; mixta est illa, quæ pro-
cedit partim a justitia, partim a gratia, et in
hac mixta potest etiam comprehendi Prin-
cipis tolerantia; Abb. in cap. *Nisi esset*, de
Præbend.

(6. Quarto dispensatio alia est tacita, alia
expressa. Dispensatio tacita est quando Prin-
ceps concessit officium alicui inhabili, vel
Papa Beneficium, nam tunc videtur tacite
super illius inhabilitate dispensare, ut notant
communiter Doctores in l. *Quidam consule-
bant*, ff. *de Rejud.* Hoc tamen debet intelli-
gi quando Papa, vel Princeps sciebat inhabili-
tatem illius, cui facta est Officii, et respective
Beneficii concessio; secus vero, si ignora-
bat; Gloss. in l. *Universis*, c. *de præc. Imper.*
off. quia numquam censetur Princeps re-
mittere vitium ignoratum; c. *Si eo tempore*,
de Rescrip. in 6. (7. Hodie tamen hujusmodi
tacita Papæ dispensatio est minus frequens
in usu ob regulam quinquagesimam primam
Cancellariæ Apostolicæ, quæ solet ab omni-
bus Pontificibus confirmari subsequentibus
verbis. « Item quod per quancumque Signa-
turam in quavis gratia, nullatenus dispen-
satio veniat, nisi specialiter exprimat, vel
dicta gratia totaliter effectum hujusmodi
dispensationis concernat, vel alias nihil con-
ferat, aut operetur. » (8. Dispensatio ex-
pressa est illa, in cujus Literis narratur
defectus impetrantis, et in illis Papa utitur
verbo *Dispensamus*; cap. *At si Clerici* 4. de
Judiciis, § *de adulteriis*, cap. *De multa* 28,
de Præbend. Et idem esset, si in illis uteretur
Papa verbo *Permittimus*, quod etiam dispen-
sationem expressam inducit; cap. *Literas*
14, de filiis Presbyterorum, et c. *Unico* de
ætate, et qualis, in 6, et docet usualis praxis
Cancellariæ Apostolicæ.

(9. Quinto, Dispensatio insuper alia est
excusabilis, alia laudabilis, alia damnabilis.
Dispensatio excusabilis est, quando urget
necessitas, quia ipsa legem non habet, et
propterea tunc Legis rigor infringitur, ubi
enim necessitas urget, dispensatio dicitur
excusabilis; Felin. in cap. 1. num. 49, et 50.
de Constit. Menoch. de Arbitr. Jud. lib. 2.
cent. 2. casu 131. n. 1. et alii passim, ex S.
Bernardo infra citando. Dispensatio lauda-
bilis est illa, ubi communis provocat utilitas,
quæ a jure æquiparatur necessitati; in cap.
Cum omnes, de Constitut. S. Bernard. infra
citandus. Dispensatio damnabilis est illa,
ubi nec ulla urget necessitas, nec communis

provocat utilitas, nec ulla adest causa justa;
Sperell. part. 2. Decis. 109. num. 2. Unde
egregie D. Bernardus lib. 3 de Consider. ad
Eugen. Papam sic ait: « Quid, inquis, pro-
hibes dispensare? Non, sed dissipare. Non
sum tam rudis, ut ignorem positos vos dis-
pensatores, sed in ædificationem, non in
destructionem. Denique quæritur inter dis-
pensatores, ut fidelis quis inveniat? ubi
necessitas urget, excusabilis dispensatio est;
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis
est, utilitas dico communis, non propria;
nam cum nihil horum est, non plane fidelis
dispensatio, sed crudelis dissipatio est. »
(10. Hinc dispensatio sine justa causa, non
dispensatio, sed dissipatio dicitur communi-
ter a Doctoribus, ut observant et tenent
Sperell. dict. decis. 109. num. 3. Fagn. in
cap. *Nimis* 18. de filiis Presbyterorum, n. 9.
Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. 1.
tit. 2. glos. 15. num. 7. Pyrr. Corrad. Prax.
dispensat. Apostolic. lib. 2. cap. 3 sub num.
2. Reiffenstuel lib. 1. Decretal. tit. 2. n. 450.
et alii passim.

(11. Idcirco dispensatio in Lege Superioris
sine justa causa non solum est injusta, sed
et invalida; Innocent, in cap. *Dudum*. 22. de
Elect. num. 16. vers. *Item si Papa*; Abbas in
cap. *Non est*, de Voto; num. 8. Butr. in cap.
Venerabilem; *Qui filii sint legitimi*, num. 6.
Felin. in cap. *Postulasti*, de Remiss. sub
num. 13. Navarr. in cap. final. *de Simonia*
num. 4. et Manual. prælud. 9. n. 14. Sperell.
dec. 109. num. 10. et plurimi Theologi,
quos refert, et sequitur Sanchez de Matrim.
lib. 8. disp. 17. num. 24. (12. Unde dispen-
sans in Lege Superioris sine justa causa,
mortaliter peccat, nisi excuset levitas mate-
riæ, ut ex D. Bernardo l. c. sub n. 9, tenet
Abbas in c. *At si Clerici* 4, de Judiciis, § *de
adulteriis* sub n. 20. in fin. Armilla verb.
Dispensatio num. 13. Silvester eod. verb. n.
2. Campanil. in diversor. jur. Canon rubr.
6. cap. 3. num. 27. Sperelli d. dec. 109.
num. 27. et dec. 115. n. 35. et post multos
alios docet Sanchez de Matrim. lib. 8. disp.
18. num. 1. (13. Immo etiam Papa, in tali
Lege sine causa dispensans non est tutus in
conscientia, sed peccat, ut plurimi gravissimi
Auctores firmant, Ancharan. const. 353, nisi
legibus in fine, Abbas et Canonistæ passim
in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit., ubi
Felin. sub n. 25. vers. *Demum*, testatur ita
omnes tenere, Covarr. in rubr. de Sponsal.
par. 2. cap. 6. § 9, num. 7. Alvarus Pelagius
de planctu Ecclesiæ l. 2. cap. 15. Victoria
in Select. de potest. Papæ num. 7. Corduba
lib. 4. Quæstionarii q. 9. Sperell. d. dec.
109. n. 15. Sotus de Justit. et jur. lib. 3. q.
6. art. 3. et colligitur ex D. Bernardo loc.
suprac. sub num. 9. monet Papam, ut non
pro sua voluntate, vel utilitate, sed pro com-
muni bono dispenset « in ædificationem, non
in destructionem... nam cum nihil horum
est » (scilicet nec urget necessitas, nec pro-
vocat communis utilitas) « non plane fidelis
dispensatio, sed crudelis dissipatio est. » (14.
Idem dicendum est de petente sine causa
dispensationem, vel eam ultro oblatam ac-

ceptante; Eiusdem enim culpæ fit reus, cuius est ipse dispensans, ut cum multis aliis tenet Sanchez lib. 8. dis. 18. n. 8. Sotus de Just. et jur. lib. 3. qu. 6. art. 3. Hojed. in tract. de incompatib. Benefic. part. 2. c. 12. n. 39. Suarez l. *recept. Sent.* in verb. *Dispensatio*. Maschard. de prob. conclus. 345. n. 14. vol. 1. Sperell. l. c. n. 15. et alii.

(15. Dispensatio in lege propria sine justa causa est quidem injusta, sed tamen valida, quia tunc Legislator in re propria, et in propria voluntate dispensat eam mutans, et a qua sola vim habet Lex; Innoc. in c. *Dudum* 22. de Elect. n. 16. ver. *Item et si Papa*, Butr. in cap. *Venerabilem, Qui filii sint legitimi*, n. 6. Abbas in cap. *Non est de voto* num. 8. Felin. in cap. *Postulasti, de remissis* sub num. 13. Sperell. loco cit. n. 10. cum variis aliis ibi citatis. (16. Unde dispensans in propria Lege sine justa causa peccat, juxta veriorum sententiam, ut articulo discusso, et innumeris hinc inde adductis concludit Sanchez disp. 18. n. 2 et 3, subdens n. 7. probabilius esse quod remoto scandalo, ac alterius notabili damno, culpa in hoc casu sit venialis, et non lethalis tam respectu dispensantis, quam respectu petentis, vel acceptantis ultro oblatam talem dispensationem sine causa, ut bene declarat ipse Sanchez d. disp. 18. per tot. et tenet Sperell. l. c. n. 13 et dec. 115, n. 35. (17. Papa autem, si dispenset in Jure positivo, etiam sine causa, ipsum non peccare firmat Innocent. in cap. *Cum ad Monasterium* 6. de statu Regul. n. 5. cum qua sententia videtur consentire Campanil, in divers. jur. Canon. rubr. 6. cap. 3. n. 27. Et ratio esse potest quia in Principe supremo sola voluntas dicitur justa causa; Glossa singularis de Jur. civil. in l. *Relegati*, ff. de pæn. et similis de Jure Canonico cap. *Si eo tempore*, de Rescript. in 6. et in cap. *Si gratiosæ*, de Rescript. etiam in 6. (18. Sanchez vero articulo mature discusso, innumeris hic inde adductis concludit secundum veriorum sententiam peccare Papam, saltem venialiter, cum sine justa causa dispensat in propria Lege, et in Jure Canonico; Et hinc fortasse, ut recte advertit Sperell. loco citato numer. 18. forte inolevit Romanæ Curie stylus, ut semper in gratiis, ac dispensationibus Summi Pontificis aliqua justa causa apponatur, ita ut exordium hoc præmitti soleat, « Vitæ et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merito nos inducunt (1). »

(19. Papa proprie et rigore loquendo nequit dispensare in Jure Divino. Est fere communis; Et ratio est, quia ita se habet Papa ad legem Dei, sicut inferior ad legem superioris, immo minor est proportio Papæ ad legem Divinam, quam inferioris Prælati ad Le-

(1) A nimia profecto facilitate excusari nequit Clar. Auct. circa doctrinam, quam tradit num. 16, 17 et 18. Theologi enim, et Canonistæ docentes, dispensationem absque causa a Superiore petitam, et etiam a Papa esse dissipationem, illumque qui ita est dispensatus, tutum non esse in conscientia, aliquid magis innuunt, quam peccatum veniale. *Quoniam*

gem humanam; c. *Dammamus* 2, de summ. *Trinit.* vers. *quia inter Creatorem et creaturam*; Sed in lege humana inferior nequit dispensare contra Legem superioris; cap. *Inferior* 4, dist. 21, c. *Cum inferior* 16, de Major. et obedient. Clementin. *Ne Romani* 2, de Election. § 1, ubi expresse habetur: « Quod lex Superioris per inferiorem tolli non potest; » Ergo nec Papa dispensare potest contra Legem divinam, seu in Jure Divino; Tum quia sicut Vicarius non potest omnia, quæ Principalis (videlicet ea, quæ speciali nota digna sunt, et requirunt expressam facultatem, cap. *Cum in generali concessione* 3, de Offic. Vicar. in 6.) ita neque Papa Christi in terris Vicarius, potest omnia quæ Christus v. g. Sacramenta nova instituere; abrogare antiqua, bigamiam simultaneam concedere, dispensare in vinculo Matrimonii consummati, et hujusmodi. (20. Potest tamen Papa Jus divinum interpretari, et declarare, quod in aliquibus casibus propter aliquas circumstantias non obliget, cum scilicet ex Divinæ Legis observantia, aut aliquid sequitur iniquum, aut minus bonum impeditur; alioquin cum pro interpretatione ad Deum recursus non pateat, non fuisset ipse bonus Paterfamilias (quod nullimode est dicendum) si Gregem suum dimisisset sine Pastore, qui in casibus dubiis, et arduis posset Jus Divinum interpretari, et declarare, et sic omnibus suis ovibus pro necessitate consulere; Abbas in c. *Proposuit* 12. de concession. præbend. Almain de Potest. Eccl. c. 13, Turrecrem. in Summa de Eccl. lib. 2. cap. 7, et lib. 3, cap. 53. Covarr. variar. Resolut. lib. 3, cap. 13, n. 9, vers. *Fateor enim*; Sotus de Justit. et jur. lib. 10, quæst. 3, art. 1. Vasquez in Opusc. moral. in tract. de Benefic. cap. 4, § 2, dub. 1, n. 122, in fin. Sylvester verb. *Papa* quæst. 16, in fine. S. Thomas in 2-2, quæst. 54, art. 5. Reiffenstuel lib. 1 decretal. tit. 2, n. 454, Fagnan. lib. 1 Decret. in cap. *Cum pridem* 4, de Pactis, num. 80, et alii passim.

(21. Papa ex rationabili et justa causa potest dispensare in omni jure Ecclesiastico. Est communis, et habetur clare in cap. *Proposuit* 4, de Concession. Præbend., ubi Pontifex sic expresse dicit, « Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare. » (22. Etatis tamen dispensatio ad effectum consequendi Beneficium Jurispatronatus familiaris non conceditur in præjudicium alterius vocati, licet remotioris, habentis tamen qualitates requisitas; proximior enim in præjudicium remotioris jam præsentati, et habentis requisita, nec est dispensandus a Papa, ut respondit S. C. C. in una Bononien. 16 Julii 1693, et in Cremon. 8 Julii, et 30 Sept. 1702, apud Monacell. tom. 3, tit. 2, formul. 7, n. 11, et

Papa, inquit Cardinalis Bellarminus in Epistola ad Nepotem suum, « non est dominus, sed dispensator: ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, et qui ea utitur eadem semper irretitur iniquitate. » Cæterum Pontifices numquam sine causa dispensationes concedunt. (Edit. Rom., 1767.)

tom. 4, supplement. ad 3 tom., n. 109.

(23. Episcopus quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et decreta Conciliorum Generalium nequit dispensare, nisi sint casus sibi a Jure permisi, seu concessi; Dispensatio enim est actus jurisdictionis, et Episcopus veluti inferior non habet Jurisdictionem respectu Sacrorum Canonum, Apostolicarum Constitutionum, et Conciliorum Generalium; cap. *Inferior* 4, dist. 21, cap. *Cum inferior* 16, de majorit. et obedient., et Clementin. *Ne Romani* 2, § 1, de Election., ubi expresse dicitur, « quod Lex Superioris per inferiorem tolli non potest. » Hinc in cap. *Dilectus* 13, de Tempor. Ordinatio, graviter reprehenditur Episcopus, qui cuiquam eadem die contulit plures Sacros Ordines, licet ad mandatum Archiepiscopi sui id fecerit; « Cum illi, » inquit Papa Honorius III, « hujusmodi dispensatio a Canone minime sit permessa. » Et cap. *Dilectus* 17, et cap. *Nimis* 18, de Filiis, Presbyterorum irritantur dispensationes contra Juris dispositionem factæ per aliquem Papæ inferiorem, quamvis Apostolicæ Sedis Legatus, ut de facto erat Archiepiscopus Remensis, sicuti legitur in d. cap. *Dilectus*. (24. Notanter tamen fuit dictum: « Nisi sint casus sibi a jure permisi, seu concessi, » quia dantur plures casus, in quibus ex concessione Juris, aut rationabiliter præsumpta licentia Papæ, potest Episcopus dispensare circa Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium.

(25. Primus casus est, quando in Jure expresse conceditur Episcopis potestas dispensandi, ut fit in cap. *Si alicujus* 59, de Election. in cap. *At si Clerici* 4, de Judiciis, in cap. *Cum ex eo* 34, de Election., in 6, in cap. *Is qui defectum* 1, de Filiis Presbyterorum, in 6, et sæpe alibi, juncto Concil. Trident. sess. 24, cap. 6, de Reformat.

(26. Secundus casus est, quando saltem tacite, seu virtualiter ex modo loquendi Sacrorum Canonum præsumitur rationabiliter concessa ipsi talis dispensandi facultas, ut cum in Canone simpliciter dicitur, posse dispensari, nec Papa sibi, aut alteri reservat dispensationem, tunc enim Episcopus potest dispensare, quamvis hoc ipsi expresse non fuerit concessum; Sic Glossa in cap. *Quisquis* 43, de Election., verb. *fiat*, et Glossa in cap. *In quibusdam* 12, de pœnis, verb. *Dispensatum*, ubi sic præcise dicit: « Cum non determinetur, a quo possit dispensari, dixit Joan. quod Episcopus potest dispensationem, » et ibi Abbas num. 5, et rursus idem Abbas in cap. *Et si unanimiter* de Postulat. Prælator, num. 10, dicens, quod Episcopi semper dispensant, ubicumque a Jure permittitur dispensatio in genere, licet specificè non permittatur Episcopis; Felinus in cap. *At si Clerici* 4, de Judiciis n. 1. Sanchez lib. 8, de Matrimon. disp. 5, num. 1, citans plurimos alios; Reiffenstuel l. c. n. 467. Barbosa part. 2, de Offic. et potest. Episcop. allegat. 33, num. 22. ubi dicit, quod, quando Lex impersonaliter dispensandi facultatem

facit dicendo v. gr. « poterit ex dispensatione, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum, » non adjiciendo per Sedem Apostolicam vel Romanum Pontificem, prout in specie in cap. *Veniens* 2. De eo qui cognovit; c. *Pastoralis* 7, de Clerico excomm. ministrante; et cap. *In quibusdam* 12, de Pœnis; tunc quia frustra talis facultas dispensandi conceditur Summo Pontifici, qui de jure potestatem dispensandi habet, ut expresse habetur in cap. *Proposuit* 4, de Concession. Præbend., ibi: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; » censetur illa facultas data Prælati inferioribus, et Episcopis; arg. cap. *Nuper* 29, de Sentent. excomm. ibi: « Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. »

(27. Tertius casus est, quando adest magna necessitas, vel evidens utilitas de novo emergens, estque periculum in mora, nec facile recurri potest ad Summum Pontificem; argum. cap. *Talis* 17, caus. 1, qu. 7, et cap. *Exposuisti* 33, de Præbend., ubi in casu, quo urget evidens necessitas, vel utilitas, expresse tribuitur Episcopo facultas dispensandi contra decreta quorundam Canonum, et sicidem dicendum venit de aliis similibus. Et ratio est, quia in tali casu ex rationabiliter præsumpta voluntate Papæ, censetur Episcopus habere concessam sibi potestatem dispensandi; hoc enim exigit Pastorale officium Episcoporum ne alias in casu urgentis necessitatis oves sibi concredite remaneant destitutæ necessariis auxiliis; et sic tenent Abbas in cap. *At si Clerici* 4, de Judiciis, n. 9, Felinus ibid. n. 3, Barbosa lib. 1 juris Eccles. univers. cap. 11, n. 149. Pirhing lib. 1 decret., tit. 31, n. 87. Reiffenstuel lib. 1 decret., n. 470. Sanchez l. 3 de Matrimon. disput. 40, num. 3. Castro Palao par. 1, tr. 3, disp. 6, punct. 5, n. 7, et alii passim.

(28. Quartus casus est, quando adest consuetudo dispensandi legitime præscripta, consuetudo enim legitime præscripta tribuit jurisdictionem; cap. *Cum tanto* 11, de Consuetudine cap. *Duo simul* 9, de offic. Jud. Ordinar. c. *Cum contingat* 13, de Foro competent. unde ista semel obtenta, redditur dispensatio valida, quæ alias foret invalida; Barbosa Pirhing, Reiffenstuel loco citato; Suarez lib. 6 de Legibus, c. 14, n. 10, et alii.

(29. Quintus casus est, quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione; arg. cap. *Cum desideres* 15, de Sentent. Excommunicat., quia stante dubio an res indigeat dispensatione, vel potest Episcopus consideratis considerandis declarare eam non requiri, vel ad cautelam dispensare; Barbosa part. 2, de offic. et potest. Episcop. allegat. 33, num. 18. Reiffenstuel loc. cit. n. 474. Sanchez lib. 1 in Decalog., cap. 10, n. 74, et cap. 40, n. 26. Layman lib. 1, tract. 4, cap. 22, n. 4, Sa verb. *Dispensatio* n. 1. Diana part. 3, tract. 6, resol. 8, et par. 8, tract. 3, resol. 12, et alii plures; Et ratio est, quia reservatio Dispensationis est odiosa, utpote coarctans